

antiquitates hebraicas a THEODORO DASSO-
VIO accepit. Sacris literis praecipue a sus-
ceptore & auunculo suo, D. PHILIPPO LV-
DOVICO HANNEKENIO, & D. JOHANNE
GEORGIO NEVMANNO, summis Theologis,
imbutus est. Neque vero etiam D. JOHAN-
NEM DEVTSCHMANNVM & D. CASPAREM
LOESCHERVM, Theologiam tradentes, ne-
glexit. Postquam praeside D. Hannekenio
disputationem quandam in Aug. Conf. &
praeside fratre, Alberto Menone, commen-
tationem historicam de vrbe Nino responden-
do commilitonum dubitationibus tuitus erat,
& opponentium, quos vocant, subfella ali-
quoties summa cum laude occupauerat; bra-
beuta Roerenseo a. MDIO CXC VIII. Magi-
stri Philosophiae honoribus suo merito auctus
est. Quo magis igitur virtutibus eluxit, hoc
magis eum cognitum Professores omnes ama-
runt atque suspexerunt. Magnus inprimis
Schurzfleischius, qui in scrutiniis ingeniorum
ea fuit sagacitate, vt decipi facile non posset,
singulari eum beneuolentia atque studio est
complexus. Vt adeo non vana spes afful-
gere videretur, fore illum egregium aliquan-
do Academiae Vitebergensis ornamentum.

V. Verum